DE FEBRI LENTA NERVOSA DISSERTATIO QUAM AD MEDICINAE...

Benedetto Ceroldo

DE
FEBRI LENTA NERVOSA
DISSERTATIO

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

IN PERVETUSTA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT

BENEDICTUS CEOLDO

VEN. PAT.

Patavii

TYPIS SEMINARII

1840.

FRATRIBVS · EGREGIIS

ANTONIO

PRESBYTERO · SACRAE · THEOLOGIAE

ET

ANDREAE

VTRIVSQVE · JVRIS · DOCTORIBVS

GRATI · ANIMI · ERGO

PEREXIGVVM · HOCCE · SPECIMEN

FRATER

D·

Febris lenta nervosa, a nonnullis maligna dicta, a Fracastoro febris pestilentialis, febris hectica ab aliis, maligna lente a Vogel, ab anglis medicis lenta nervosa, inter quos Home et Huxham peculiarem merentur considerationem.

Phaenomenologia

Individui qui ad hujusmodi febrim disponuntur, de aliquo tristitiae gradu conqueruntur, nec physicae conditionis morbosae, qua premi solent, rationem reddere videntur; nonnullas repentinas frigoris et caloris sensationes perferunt, et calor et frigus vicissim in capite et facie apparent; virium delassatione afficiuntur perinde ac si nimio labore defatigati viderentur; ceteroquin inertes languidi deambulant. In posterum morbi indicium et progressus ad celeritatem magis sensilem pergit; modo patet majus aut minus capitis pondus; interdum dolor, vertigo, moeror atque insueta praecordiorum angustia; inde locum habent anorexia, alimentis perspicua aver-

sio, absque siti molesta aut potus desiderio, et saepe cum crebro vomendi nisu, aut ipso vomitu materiei cujusdam salivalis phlegmaticae. Interdum hujusmodi symptomata aliquo temporis spatio silent, sed tamen vespere exacerbantur: tunc caput eo magis ponderosum fit, urgente calore, facultates intellectuales a norma abludunt; pulsus magis frequentes fiunt, tamen debiles, et inaequales; adest dyspnoes, pectoris oppressio, et aliqua frigoris sensatio partem capitis posteriorem tenet, et cephalaea gravativa ad sinciput et coronalem suturam. Calor per universum corpus plerumque mitis est; tamen interdum mannum volae incalescunt, aut caput calido vapore premitur cum facie rubella, dum inferiores partes frigent. Quinque aut sex elapsis diebus aegrotans pallescit; plerumque vigilat, et mens variis imaginibus agitatur, si somno indulgeat.

Pulsus in hujusmodi stadio celeres, debiles, inaequales, interdum insensiles sunt, et interdum tardi, intermittentes, aut magis concitati, et vicissim placidi, regulares, atque in alternatim variant. Hic morbus subsequis diebus exasperatur, et jam aeger difficili negotio aut loquitur, aut motus musculorum exercet, nec proprii status rationem reddere valet. Nil optat, potu haud excepto. Quaestionibus vix responsum dat; tandi-

nes subsiliunt; lingua et manus tremunt; lingua albo muco tegitur; vix arida est; tandem loquitur cum delirio miti. Sanguis per phlebotomiam eductus crassamentum nigrum parum cohaerens exhibet, interdum ad colliquationem pronus videtur, et sero abundanti fusci coloris scatet. Urina plerumque tenuis apparet, jumentosa, et non raro nonnihil nigrescens cum hypostasi. Circa diem septimam vel octavam morbi cuncta phaenomena exasperantur; genae magis rubent; extremitates corporis calidiores fiunt; dolor et capitis pondus adaugentur; vertigines atque aurium tinnitus praesto sunt; mentis facultas perturbatur non sine delirio. Aeger quasdam profert voces, in somno praesertim, interruptas quidem et obscuras, et postea ad normalem statum iterum restituuntur omnia, brevibus tamen intervallis. Pectoris anxietas, virium vitalium debilitas ita increscunt, ut delirium ingruat aut syncope. Tunc frons, manuum dorsum frigido sudore scatent. Lingua eo magis arat, rubet, quidquam coloris corticis punici granati offert, scinditur, tremit; vix de siti aeger couqueritur, et mordacem molestumque calorem incusat.

Nona, decima die, aut serius sudores breves et non raro inaequales, repentini, copiosi, frigidi, viscosi apparent ab initio iu extrema corporis

8

parte; alvi fluxus involuntarius, materiei crudae aquosae perstat, et universim sudor, colliquationem cum virium dejectione praeseferunt. Non raro insuper, si tepens sudor criticus difusus apparet, et excretiones alvinae modicae delirium et coma somnolentum auferunt. Hocce morbi stadio vires naturae medicatrices silent, pulsus adeo parvi tanguntur, ut vix pulsationes possint enumerari, ita quidem, ut videatur aeger ad proximum interitum properare. Aegri fere stupidi et sensibus destituti fiunt, et dum prius strepitu et luce facili negotio agitari consueverant, vix excuti solent. Delirium sensim sensimque sequitur brevis sopor, aut somnus fere continuus. Lethalem exitum proximum enunciant artuum tremores, tendinum subsultus, evacuationes involuntariae, quae cuncta nimiam nervorum sensilitatem et erethismum totius corporis patefaciunt. Aegri die decima quarta, decima septima, vigesima prima, aut serius, tali morbo emoriuntur. Interdum praeter alia symptomata non quidem constantia, maculae varii coloris adparent in cutis superficie; interdum peticulae subnigro-liventes, neque rari aurium aliarumque partium abscessus, aut aphthae albae, rubrae, copiosae, subnigrae, gangraenosae in labiis, lingua, faucibus, praesertim quando febris aliquo gradu humorum colliquationis comitata sit; interdum

ad os sacrum gangraena sicca, vel humida, plus minusve alba adparet. Plerumque cum morbus haud malignae sit notae ad quadragesimum usque diem perdurat. Aegri gravi virium dejectione labefactantur; devicta febri et mentis facultates aliquo temporis spatio, vel ubi convalescunt, infirmantur (*).

Aetiologia morbi.

Hujusmodi febris corripere solet temperamento gracili, molli et delicata organorum et textuum compage praeditos, eosque qui eximia nervorum sensilitate pollent et animi pathematibus deprimentibus vexati sunt; qui profluviis sanguineis, aut cujuscumque humoris laborarunt; qui diu in aere humido morari consueverint, potu insalubri abusi fuerint, et praesertim quos immodicae vigiliae laboresque infirmarunt.

Quas omnes causas simul comprehendendo, ad duplicem seriem eas reduci posse mihi videntur. In prima recensendae sunt illae quae vitae vegetantis robor infirmant; alias causas in secunda annumerandas existimo quae vitam sentientem praesertim afficiunt, et peculiarem abnormitatem in nervorum compagine eorumque moleculis inferunt, ut irregulares exsurgant ac praecipites motus. Qualis sit actio primarum cau-

(*) Ex lectionibus Clarissimi Prof. Federigo.

sarum in organismum, clarissime patet; cobaesionem enim organicam imminutam ac texturam robur humorumque plasticitatem infractam videmus, dum leucophlegmaticos habitus ac cachecticos aspicimus eorum vultus qui sunt illis obnoxii. Qualis vero sit intima nervorum mutatio ac specialis conditio, ob secundas causas inductae, per quas peculiaris mobilitas et sensilitas ac febri nervosae praedispositio observetur, haud facile est cognoscere; nimis enim physiologum et pathologum latent functiones laesionesque nervorum. Attamen sin minus intimae mixtionis ac texturae conditionem, saltem hujusce effectum quadam probabilitate statuere velimus, ad hyposthenicum potius quam ad hypersthenicum statum pertinere videtur.

Prognosis.

Insidiosa febris natura prognosim valde dubiam admittit. In febra sporadica et spontanea, dummodo simplex ea sit, periculum minus grave pronunciandum est. Majus tamen periculum prostat, si morbus homines corripiat angusto in spatio retentos, uti nosocomiis, carceribus, navibus, effluviis animalium deleteriis coeuntibus, et illos praecipue in quibus sanguis magis ad decompositionem vergat. Si nona, decima et decima secunda die ex decubitu lingua humida sit,

si sputum copiosum adpareat, si ventris fluxus modicus, aut perspiratio cutanea, aut in aure abscessus adpareat, vel pustulae latea labia et nares occupent, tunc bona crisis erit dicenda. Contra si alvi excretiones immodicae, aquosae involuntarie fiant, si sudor nimis copiosus, si aeger lipothymiis corripiatur, si lingua tremat, si extramaa corporis partes frigescant cum tendinum subsultu visu atque auditu extincto, et pulsus vermiformes tangantur, malum omen censendum est. Fatetur Borsieri, se nullum sanitati restitutum observasse inter eos aegrotantes qui desperatione praemebantur. Praesertim brevis sudor frigidus aut circa collum aut caput pejoris notae judicatur; horripilationes et frigus, symptomate sudori supervenientia pessima sunt. Mentis stupor pertinax et virium dejectio non semper periculum minantur. Interdum maculae rubrae confluentes, aut vesiculae miliares, si circa statum morbi, idest die septima, nona, undecima vel decimaquarta, aut serius, juxta magis bravem aut longum febris decursum, apparent, accedente ptyalismo et urina cum hypostasi, haud raro bonum omen denotant. E contra peticulae nigrescentes et maculae quae gangraenulas praeseferunt, repentinae sanguinis decompositionis indices sunt. Mali ominis nequeunt considerari aphthae albi coloris in lingua et la-

biis. Contra aphthae nigrae liventes, quae per fauces serpunt. Cophosis atque auriumabscessus in fine morbi optimi exitus nunciae sunt, dummodo alia symptomata mitiora fuerint. Frequentius extremarum partium gangraena, praesertim coccygis, morbi vim deleteriam exterius pelli demonstrat; illa enim adparente cuncta phaenomena et topica et universalia mitiora evadunt. Pulsus tandem normales, cutis mollis, tepens universalis, spasmi cessatio bonae notae debent existimari.

Therapia.

Ex his quae retulimus, patet, bocce in morbo neque phlebotomiae, neque repetita cathartica, individuis praesertim debilioribus, alvi immodicis evacuationibus et sanguinis et serosis profluviis laborantibus medicae indicationi rationali satisfacere. Nihilominus, inquit Borsieri, si plethora adsit, si vires vitales satis vigent, si corporis habitus, aetas, annua constitutio, si morbus cum disthesi sanguinis inflammatoria conjungatur, pulsu aspero duro testante, venae sectio prodest, initio tamen morbi, et cauta prudentique manu instituta; nam saepe repetita phlebotomia, et copiosa, vires infirmat, delirium promovet, aut hoc exasperat si recens sit. Eo minus iteranda venae sectio, si prima sanguinis evacuatio liventem colorem praeseferat et pa-

rum crassamenti, e contra serum aliundet coloris fusci nigri, uti saepe evenire solet. Prudentius vero consilium est ad cucurbitulas scarificantes confugere, quarum ope magis tuto capitis et pectoris oppressio sedatur, et absque detrimento reiterari possunt, id quod de phlebotomiis dici nequit. Confugiendum est ad cucurbitarum applicationem vel in morbi augmento, delirio aut coma somnolento urgentibus. Maximis vero, et merito, extolluntur laudibus hirudines ad tempora vel ad vasa sedalia applicitae. Post venae sectionem aut aliam sanguinis evacuationem, cephalalgia aut vertigine adhuc perstantibus, vesicatoria apophysi mastoideae vel a morbi initio admoveantur.

Quemadmodum virium vitalium indoles suspectam phlebotomiam reddit, eadem res esto, catharticorum ratione perspecta. Cathartica saepe virium langnorem gignunt, non secus ac lipothymias, alvi fluxum immodicum, aliaque incerti characteris symptomata manifesta reddere valent. Nihilo tamen secius ubi gastrica colluvies in primis viis adsit, ubi pulsus satis validi sint, et colliquatio minime sit metuenda, tum alvus exoneretur clysmatibus primum, postea eccoproticis mitioribus. Tamen emetica magis indicata sunt vel ipsis catharticis antiferenda, anorexia, sensu ponderis ad scrobem cordis cete-

risque notis signis perstantibus. Per ipecacua nham, aut tartarum stibiatum materiae aquosae, glutinosae excerni solent, et salutaris in vasorum systemate et nerveo successio consequi solet. Emeticorum administratio ideo est iteranda. Contraindicationes vero illorum cuilibet jam clare patebunt. Emetico itaque assumpto, vel levi cathartico, alvi segnitie perstante, clysmata ex lacte praecipue prosunt. Vesicantium usus vel ineunte morbo satis indicatur non modo nuchae, verum etiam brachiis et femoribus praesertim admota, ubi vires infirmentur, vel fractae videantur, et revera sint, atque ubi mentis facultates torpore, hebetudine conflictantur, aut imminens peticularum eruptio anxietatem, dyspnoeam, delirium et pectoris oppressionem efficiant. Hujusmodi symptomata, inquit Borsieri, pendent a spasmodica fibrarum nervorumque adfectione. Pulsus hoc denotant parvi, celeres, inaequales. Diuturnum delirium, vel tendinum subsultus vel convulsiones ex similis ab exaltata cerebri nervorumque pendent actione, et ita nervea potentia afficitur, ut directa virium exhaustio et mortalis accidat concidentia. Hyposthenicae nervorum irritabilitati sedantia tonica et alexipharmaca indicantur. Et primum pertinent principio aromatico praedita, oleo aethereo praecipue scatentia: haerbae, flores, cortices, radices

aromaticae, inter quas angelica, valeriana primum tenent locum. Liquor cornu cervi succinati, tinctura croci, castorei, moschus et camphora magnis laudibus extolluntur; quod jam omnibus medicinae cultoribus notum est. Varia symptomata peculiarem merentur considerationem. In hac febris specie evacuationes cujuslibet generis facili excessu peccant, id quod difficile negotium est moderari et compescere; nam eas haud caute cohibendo possunt suspectae et noxiae metastases exoriri, vel alia phaenomena in scenam prodire. Supervacaneum quidem erit de quorumdam symptomatum concomitantium curatione eorumque sequelis agere.

THESES DEFENDENDAE

I.

Frigus siccum morbos vasculares, calor humidus nervosos producit.

II.

Datur mania sympathica.

III.

Contemporanea duarum pestium evolutio non datur.

IV.

Indicium de veneficii indole difficile est.

V.

Medendi recte, Anatome, principium et fons.

VI.

Vis vitalis in omnibus morbis semper laesa.